

III.
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 94.

Politica Mortuorum Colloquia.

Elysium-Meum.-Die Veneris 19. Jan. 1810. (Nov. 29. Dec. 1809.)

O divinam Harmoniam!

At liquidas avium voces imitarier ore
Ante fuit multo, quam levi carmina cantu
Concelebrare homines possint aureisque ju-
vare

Et Zephyri, per calamorum Sibila. — —

Lucret.

Colloquentes Manes.

Mozart. — Haydn.

Mozart. Salve! amicus genii mei, pater mu-
sicae Harmoniae, salvus esto divinae Haydeni!
non placet Parnassum conscendere, inque so-
Musae locum occupare?

Haydn. Dextram primum. more prisco
Germanorum! — Ubi Celebres viri: *Glu-
skius, Piccinius, Pergolesius?*

Mozart. Paulo ante isthic erant, ta-
querunt, exquirunt curiose.

Haydn. Ergone & in his oris harmonia?

Mozart. Harmonia? — ita est sane, non
dantur isthic fures, prout in mundo supe-
riore.

Haydn. Fures, ut hoc intelligis?

Mozart. O pater! auctor eximia artis!
tu solus auctor es! nihil tu in magnis operi-
bus tuis ab alio quopiam mutasti; nihil imi-
tabaris, nihil furabaris; tu Creationem novi-
tus condidisti, Coelestes genii canunt eam,
tu super omnes te extulisti, temet ipsum au-
ctorem harmoniaratione effectisti. O pater
Haydn!

Haydn. Amice Mozart! ruborem hæc,
dum dico, mihi eliciunt encomia.

Mozart. Misime amice! commovetur
animus adversus eos, qui iterum imprimunt
opera, iniquitas elucet; at dum homines,
qui nobile in Musica arte nomen affectant,
integras harmonias aliis suffurantur, seu, ut
dici solet, *copiant*, an non hæque abominac-
biles sunt, quam hi re — impressores?

Haydn. Vita alenda media & compa-
randa, & aliis cedenda sunt. Nihil ais de
tuis meritis?

Mozart. Nalla mihi, tibi soli laus de-
betur & honor. Ecce nunc comparuit um-
bra, hæc mihi narrans: Nobilis Haydnus
sub tristi Epœcha vita decessit. — Erat bel-
lum, verum jam amica politica harmonia in-
ter Austriam & Galliam incidit; primum,
quod tuus Princeps (adpello tuum principem:
Eszterházy) fecit, erat, quod cadaver tuum
Vindobonæ, ubi fatali tempore vitam egisti,
effodiendum curaverit, idque cum omni, qua
par erat, funebri pompa, sepeliri jufferit, ti-
bique monumentum, nomine tuo dignum eri-
gendum præceperit. Cupiebam, ajebat um-

bra, honorem habere, sanus tam nobile prosequendi; at sæva Atropos. —

Haydn. Hem benignum principem!

Mozart. Merito debetur honos — tu in arte nostra fortassis unus & solus es, qui celebritatem patriæ nostræ exaltavit. Excel-si & clari viri raro ad hoc tempus exorti sunt; tu gloriâ vindicasti. — —

Haydn. Et tu temet horum numero non accenses, animo dilecte Mozart!

Mozart. Lubens herbam porrigo auctori.

Haydn. Me quidem obruis. — —

Mozart. Unam modo liceat facere animadversionem de nostra arte: artem pictoriam in diversas scholas dispescere placuit ad denotandum cujusvis nationis in hoc artium genere meritum. Equidem ita statuo: iniquum fore, si nobilissima ars Musica in certas scholas non tribueretur. Sane Ecclesiasticum cantum Gallica schola sibi ex merito vindicat, quod auctor ejus, & qui primus eo usus, Gregorius Pontifex, fuerit natione Gallus. Interim in Italia musica schola se formaverat, quæ suavissimæ harmoniæ ortum dedit; omnes aliarum nationum artifices in ea ingenium suum excoluerunt. Vetus gallica schola ex tempore Lullyi melodia profecit, Cel. Grettri & alii gustum Rillianæ scholæ in eam tulerunt. Nos quoque in Germania scholam mediæ harmoniæ effecimus, at ipse popularis noster Cl. Gluckius, qui ceu primus ejus architectus comparuit, nimium recitationibus se dedit. Est mihi nimis sen-

tentiam thesimque statuendi, quæ in gustu, non blanditiis, rationem habet; indulge, sis, pater Haydeni! ut TE auctorem, TE statorem scholæ nostræ musicæ Germanicæ adstruam. Non auribus servo, non officiositate gratia ad id ducor. apud animum convictus ad propositionem hanc demonstrandam, idque asseverandum permeor; eteain ingenue confiteor tibi: me in operibus musicis meis, invitum etiam italicæ harmoniæ adhæsisse; quod ipsum in primis operibus & tibi solenne erat; verum postrema tua opera ex integro primitiva sunt, novam gustum, novam harmoniam, novam, nec adhuc auditam sanctorum musicorum concordantiam præ se ferunt; opus tuum de Creatione, vera germanicæ scholæ musicæ creatio est. Tibi proin honor ex merito debetur, te architectum, te auctorem, statoremque ejus fuisse, te manet gloria quæ ex te in dulcem patriam nostram redundat, hæc jure merito de te gloriari, & ingenii dotibus tui coram aliis orbis gentibus clarescere ex æquo potest.

(Cl. Haydn in Hungaria primam lucem aspexisse, jam alibi in Biographia clarissimi viri (N. 54.) memoratum est *adnot. vers.*)

Haydn. Nescio, — quid quanta tu —

Mazart. Desine intercedere posthac amplius Vir clarissime! ex imo animi mei recessu loquebar, & apud animum de æquitate facti convictus ultro primas auctori operis

de Creatione cedo. Manum de tabula haec, hæc postrema mea vox est. — Veni, sis, Choro Seraphinorum subeamus, & in hoc scholæ nostræ æstimatio est, canant illi Creationem, & secundum tuam harmoniam laudes Altissimi prædicant. — Decimus Cherubimorum Chorus in vicem novem, qui fuero, erectus est, ad scholam nostram germanicam imitandum — sed — erige sis, amice! aures, auricula. en concinunt Domini dominantium majestatem — secundum tuam harmoniam.

(Ad hæc scenam, audiebatur tuba supremi rei vespædaræ in Olympo Magistri Mercurii, venitque hic Tonantis alas adferens de divortio Imperatoris Napoleonis nova; vide Ephem. Politico-Statist. N. 2)

Scultetus et Communitas pagi.

„Cari Contribules! dicebat Scultetus in pago, res eveniunt hodie, quæ sphæram nostræ rationis excedunt, quas mente comprehendere non licet” — taceat vestra Dominatio, subjunxit Parochus, mundus hic Casco est similis, quem vermes excedunt — hodierno tempore quisquis sibi vivit, & Deus pro nobis est omnibus. — Ita est, A. R. D. Parochæ! reddit Scultetus, & Communitas consolationis plena discessit. Pago huius amplius hic mundus similis est, tantum ex modificationibus. —

Raitchlein provincialis Praetor Lucani
Anno 1554 et 5.

„Id ipsum animum meum sollicitum red-
dit, scribebat ille die quodam ad Statum
suum; — ego, qui Judicaria auctoritate
poenas delinquentibus irrogandas habeo, hu-
milis & moestus, ut Psalter ait, incedo; con-
tra: quibus Censura inopiaque impendet, au-
daces, & intrepidi consistunt, nam opem
in Dominationibus habent, — quapropter mul-
tum gratiosas Dominationes rogatas velim,
ut mei causa concinnas dimissorias litteras
edatis, quippe iis magis opus habeo, quam
pii hi homines”. —

(Hæc olim officialium animi erat probi-
tas — & hodie?)

Prope *Stornony* (unam ex Orcadibus in
Scotia Septentrione) nuper lugubris casus
accidit. — Vespere quodam Sabathi prope
ostium portus plures homines phaselis con-
tenti hamatis piscabantur funiculis, — repen-
te eodem in loco balæna se conspicendam
præbet, valido assultu unam phaselorum dif-
feingens, eaque contentos 6 homines: viros,
mulieres, prolesque in mare vibrans, interi-
tu inevitabili. —

Politicae Episodæ.

Diarium Parisinum textit seqv. Anekdo-
tum, dignum quod nostris vigentis moris stu-

diostis adolescentibus expendendum proponatur.

Nuper admodum adolescens ex provincia in hospitale Britannicum adpulit; Mox vestimentorum artificem (vulgo Sartorem) acciri jubet. Adest ille in persona *D. la Couture*, & diversa panni exemplaria producit. *Elegantiam (Modam)* studiosus noster, quod *mor vicens* elegantissimum censet, expetit. — Pipere — Salinus color pro braccis, casei ex cinara, (*Artichoken*) confecti color pro veste — ait Sartor, & mensuram facit vestimenti; — „An & herulo placet superpellioium? (*Spencer*) rogat hic; ita sane, quidquid *mor vicens (Moda)* secum fert, et usque crastinum mane parata omnia oportet;” — dignetur mandare, subjungit artifex, & discedit. —

Sequente mane comparet Clarissimus hic artis Magister; — Braccæ pipere salini coloris. — Ohe! exclamat parum modæ peritus adolescens, quam hæ laxæ! „prout ocreæ” reponit Sartor, omnia pannis plena esse debent. — „At, bons Domine de la Couture! hic thorax antiquitatem redolet, obsoletus adparet” hic thorax? — quid loquitur herulus? nequaquam thorax, sed vestis coloris Casei ex cinara est (*Guld’artichaut*) — hæccine ergo vestis? tam curta, tantilla? — hanc quidem, omnes cardinales venti permeant!” — at aliud ei superindendum